



PRÆFATIONES PARTICULARES  
A SANCTA SEDE CONCESSÆ

## PRÆFATIO DE ANGELIS

Præfatio de Angelis dici potest in missis festivis et votivis Angelorum  
necnon in festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli die 29 septembris.

℣. Per ómnia sácula sæculórum. ℞ Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℞ Et cum spírítu tuo.

℣. Sursum corda. ℞ Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℞ Dignum et iustum est.

**V**ere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: **E**t in Archángelis Angelísque tuis tua præcónia non tacére, quia ad excelléntiam tuam recúrrit et glóriam quod angélica creatúra tibi probábilis honorétur: et, cum illa sit amplo décore digníssima, tu quam sis imménsus et super ómnia præferéndus osténderis, per Christum Dóminum nostrum. **P**er quem multitúdo Angelórum tuam célebrat maiestátem, quibus adorántes in exsultatióne coniúngimur, una cum eis laudis voce clamántes:

**S**anctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánna in excélsis.

## PRÆFATIO DE SANCTO IOANNE BAPTISTA

Præfatio de Sancto Ioanne Baptista dici potest in Missis festivis et votivis S. Ioannis Baptistæ.

℣. Per ómnia sæcula sæculórum. ℞. Amen.  
℣. Dóminus vobíscum. ℞. Et cum spírítu tuo.  
℣. Sursum corda. ℞. Habémus ad Dóminum.  
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.  
℞. Dignum et iustum est.

**V**ere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. **I**n cuius Præcursóre beáto Ioánne tuam magnificéntiam collaudámus, quem inter natos mulíerum honóre præcípúo consecrásti. Qui cum nascéndo multa gáudia præstitísset, et nondum éditus exsultásset ad humánæ salútis advéntum, ipse solus ómnium prophetárum Agnum redemptiónis osténdit. Sed et sanctificándis étiam aquæ fluéntis ipsum baptísmatis lavit auctórem, et méruit fuso sángine suprémum illi testimónium exhibére. **E**t ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatió nibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.  
Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.  
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.  
Hosánna in excélsis.

## PRÆFATIO DE MARTYRIBUS

Præfatio de Martyribus dici potest in Missis festivis et votivis Sanctorum Martyrum, modo ne agatur de S. Ioanne Baptista, vel præfatione propria gaudeant.

Loco verborum \* beatórum mártýrum dici potest pro opportunitate:  
vel beáti mártýris N. (beátæ mártýris N.),  
vel beatórum mártýrum N. et N. (beatárum mártýrum N. et N.).

✠ Per ómnia sácula sæculórum. ✠ Amen.

✠ Dóminus vobíscum. ✠ Et cum spírítu tuo.

✠ Sursum corda. ✠ Habémus ad Dóminum.

✠ Grátias agámus Dómino Deo nostro.

✠ Dignum et iustum est.

**V**ere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: Quóniam \* beatórum mártýrum pro confessióne nóminis tui, ad imitatióem Christi, sanguis effúsus tua mirábília maniféstat, quibus pérficis in fragilitáte virtútem, et vires infirmas ad testimónium róboras, per Christum Dóminum nostrum. Per quem maiestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cæli cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítte iúbeas, deprecámur, súpplíci confessióne dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánna in excélsis.



# PRÆFATIO DE OMNIBUS SANCTIS ET SS. PATRONIS

Præfatio de Omnibus Sanctis et Ss. Patronis dici potest  
in Missis festivis et votivis Omnium Sanctorum, et in Missis festivis et votivis Sanctorum  
Patronorum cum principalium tum secundariorum, necnon Titularis ecclesiæ vel oratorii,  
modo ne agatur de Angelo vel præfatione propria gaudeant.

℣ Per ómnia sácula sæculórum. ℞ Amen.

℣ Dóminus vobíscum. ℞ Et cum spírítu tuo.

℣ Sursum corda. ℞ Habémus ad Dóminum.

℣ Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℞ Dignum et iustum est.

**V**ere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias  
ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: **Q**ui glorificáris in  
concílio Sanctórum, et eórum coronándo mérita, corónas dona tua: qui nobis in  
eórum præbes, et conversatióne exéplum, et communióne consórtium, et  
intercessióne subsidiúm: ut tantam habéntes impósitam nubem téstium, per  
patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen, et cum eis percipiámus  
immarcescibilem glóriæ corónam. Per Iesum Christum Dóminum nostrum, cuius  
sánguine ministrátur nobis intróitus in ætérnum regnum. **P**er quem maiestátem tuam  
treméntes adórant Angeli, et omnes Spírítuum cæléstium chori sócia exsultatióne  
concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítte iubeas, deprecámur, súpplíci  
confessióne dicéntes:

**S**anctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánna in excélsis.

## PRÆFATIO DE SS. SACRAMENTO

Præfatio de Sanctissimo Sacramento dici potest in festo Sanctissimi Corporis Christi,  
in Missis votivis de Sanctissimo Sacramento,  
et in Missis votivis de D.N.I.C. æterno et summo Sacerdote.

✠ Per ómnia sácula sæculórum. ✠ Amen.

✠ Dóminus vobíscum. ✠ Et cum spírítu tuo.

✠ Sursum corda. ✠ Habémus ad Dóminum.

✠ Grátias agámus Dómino Deo nostro.

✠ Dignum et iustum est.

**V**ere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Qui, remótis carnálium victimárum inánibus umbris, Corpus et Sánguinem suum nobis in sacrificium commendávit: ut in omni loco offerátur nómini tuo, quæ tibi sola complácuit, oblátio munda. In hoc ígitur inscrutábilis sapiéntiæ, et imménsæ caritátis mystério, idípsum quod semel in Cruce perfécit, non cessat mirábiliter operári, ipse ófferens, ipse et oblátio. Et nos, unam secum hóstiam efféctos, ad sacrum invítat convívium, in quo ipse cibus noster súmitur, recólitur memória Passiónis eius, mens implétur grátia, et futúre glóriæ nobis pignus datur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánna in excélsis.

## PRÆFATIO DE DEDICATIONE ECCLESIAE

Præfatio de Dedicacione Ecclesiæ dici potest in Missis de Dedicacione ecclesiæ necnon in Missis de anniversario Dedicacionis, exceptis Missis in Dedicacione S. Mariæ ad Nives die 5 augusti et in Dedicacione S. Michaelis Archangeli die 29 septembris.

℣. Per ómnia sácula sæculórum. ℞. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℞. Et cum spírítu tuo.

℣. Sursum corda. ℞. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℞. Dignum et iustum est.

**V**ere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: Qui hanc oratiónis domum, quam ædificávimus, bonórum ómnium largítor inhábitas, et Ecclésiám, quam ipse fundásti, incessábili operatióne sanctíficas. Hæc est enim vere domus oratiónis, visibílibus ædificiis adumbráta, templum habitatiónis glóriæ tuæ, sedes incommutábilis veritátis, sanctuárium æternæ caritátis. Hæc est arca, quæ nos a mundi eréptos dilúvio, in portum salutis indúcit. Hæc est dilécta et única sponsa, quam acquisívit Christus ságuine suo, quam vivícat Spírítu suo, cuius in sinu renáti per grátiam tuam, lacte verbi páscimur, pane vitæ roborámur, misericordiæ tuæ subsidiis confovémur. Hæc fidéliter in terris, sponso adiuvánte, mílitat, et perénniter in cælis, ipso coronánte, triúmphant. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatióibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicétes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánna in excélsis.



## PRÆFATIO DE NUPTIIS

Præfatio de Nuptiis dici potest in Missis votivis "Pro Sponsis".

✠ Per ómnia sǎcula sǎculórum. ✠ Amen.

✠ Dóminus vobíscum. ✠ Et cum spírítu tuo.

✠ Sursum corda. ✠ Habémus ad Dóminum.

✠ Grátias agámus Dómino Deo nostro.

✠ Dignum et iustum est.

**V**ere dignum et iustum est, æquum et salutáre, nos tibi semper et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: **Q**ui fódera nuptiárum blando concórdiæ iugo et insolúbili pacis vinculo nexuísti, ut multiplicándis adoptiónum filiis sanctórum connubiórum fecúnditas pudíca servíret. Tua enim, Dómine, providéntia, tuáque grátia ineffabílibus modis utrúmque dispénsas, ut, quod generátio ad mundi prodúxit ornátum, regenerátio ad Ecclésiæ perdúcat augméntum, per Christum Dominum nostrum. **P**er quem maiestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cæli cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces ut admítte iúbeas, deprecámur, súpplíci confessióne dicéntes:

**S**anctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánna in excélsis.